

ligenda exponendaque illa quae legislatores sanxissent, simul et furti crimine arguens principes illius sectae viros, minime idoneos omnes iudicans, ne Cuiacio quidem excepto, ad iuris substantiam assequendam, potius verba explicantes, vel antiquarias grammaticasque nugas sectantes.

Nimius sane censor Gentilis omnes detraxit laudes sectatoribus moris illius qui Gallicus appellatus est, Italico mori oppositus.

Verum in rei summa recte iudicavit Gentilis. Hoc enim nunc demum aestimare atque in medium proferre licet, postquam Corpus Iuris eiusque partes singillatim diligentius excussae et historiae quoque luminibus copiosius adhibitis longe melius quam antea nobis innotuerunt.

Controversiae autem causa in ipsius Corporis constructione vertitur, cui multa insunt disparia, antiquiora, recentiora, neque ea convenienter discreta, sed commixta et confusa, perpetuae contentionis in se tamquam semina ferre videbantur. Logica enim, immo geometrica, connectio et harmonica Iuris civilis structura Humanistas allexit adeo ut illud semper strictum quoddam et severum corpus iudicaret, eius autem incrementa processus innovationes non cernerent, quae quidem in vetere Romanorum iure, perenni motu, praetoris imperio ac iurisdictione, iurisprudentum consiliis, imperatorum denique auctoritate facta sunt. Nam Imperii praesertim temporibus novum quoddam ius, universali praeditum vigore, ortum est: cui promovendo Ius gentium valuit, simulque mores et instituta provinciarum et tanti novae necessitates Imperii; itaque novum istud ius magis magisque discessit a principiis et doctrinis quibus antiquum ius civile nitebatur.

Ceterum duplicem Romani iuris ordinem nemo non novit: hinc Ius proprium Romanorum, quod a « maiorum moribus » atque a « legibus » fluxit, solemnibus atque im-